

AVLI GELLI  
NOCTES ATTICAE

AB

LEOFRANCO HOLFORD-STREVENS

RECOGNITAE

BREVIQUE ADNOTATIONE CRITICA INSTRVCTAE

TOMVS PRIOR

PRAEFATIONEM ET LIBROS I-X CONTINENS

OXONII

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

**OXFORD**  
UNIVERSITY PRESS

Great Clarendon Street, Oxford, OX2 6DP,  
United Kingdom

Oxford University Press is a department of the University of Oxford.  
It furthers the University's objective of excellence in research, scholarship,  
and education by publishing worldwide. Oxford is a registered trade mark of  
Oxford University Press in the UK and in certain other countries

© Leofranc Holford-Strevens 2020

The moral rights of the author have been asserted

First Edition published in 2020

Impression: 1

All rights reserved. No part of this publication may be reproduced, stored in  
a retrieval system, or transmitted, in any form or by any means, without the  
prior permission in writing of Oxford University Press, or as expressly permitted  
by law, by licence or under terms agreed with the appropriate reprographics  
rights organization. Enquiries concerning reproduction outside the scope of the  
above should be sent to the Rights Department, Oxford University Press, at the  
address above

You must not circulate this work in any other form  
and you must impose this same condition on any acquirer

Published in the United States of America by Oxford University Press  
198 Madison Avenue, New York, NY 10016, United States of America

British Library Cataloguing in Publication Data  
Data available

Library of Congress Control Number: 2018962624

ISBN 978-0-19-969501-0

Printed and bound by  
CPI Group (UK) Ltd, Croydon, CRO 4YY

Links to third party websites are provided by Oxford in good faith and  
for information only. Oxford disclaims any responsibility for the materials  
contained in any third party website referenced in this work.

**D. M.**  
**LVDOVICI CARRIONIS**  
**IOHANNIS FREDERICI GRONOVI**  
**MARTINI IVLI HERTZI**

Si quem Cecropia clarum Latiaque Camena  
Esse iuuat: Gelli scripta probanda legat.  
Attica nox luci numquam cessura diurnae  
Ad uarias artes quam bene monstrat iter.

Marcus Scaramucinus de Palatiolo  
in editione Brixiana a. 1485

## TESTIMONIA ANTIQVA

### 1 M. Cornelius Fronto, *Ad amicos* 1. 19

Non agnoui ista mea ab Gellio pessime quaeri: credideris  
admonuisse se edere.

pessime *i.q.* ualde *potius quam* pessimo exemplo : *m*<sup>2</sup> aptissime edere *i.q.* editu-  
rum esse ἀρχαϊκῶς

2 Lactantius, *Epitome diuinarum institutionum* 24. 5  
huius [sc. *Chrysippi*] sententiam interpretatus est A. Gellius in  
libris *Noctium Atticarum* sic dicens: [NA 7. 1. 1-6]

A. Gellius] Agellius *codex unicus*, s. VI/VII (u. *Holford-Strevens* 2003: 11 n. 1)

3 Ante librum X codices plerique epigramma AL 904 prae-  
bent:

C. (*om. OZBD*) Aurelii Romuli  
Cecropiae noctes, doctorum exempla uirorum,  
donat habere mihi nobilis Eustochius.  
Viuat et aeternum laetus bona tempora ducat,  
qui sic dilecto tanta docenda dedit.

4(a) Aelius Donatus seu Seruius auctus ad Verg. *Georg.* 1. 260  
sane maturare duas res significat; aut in otio et suo tempore  
facta maturata dicuntur, aut adcelerata et ante tempus acta,  
quod hic significat. Cato properare dicit eos qui prima quaeque

ordine suo mature transigunt, festinare autem illos qui multa incipiunt eaque adnectendo nec terminando praepediant. Aulus Gellius: mature ueluti celeriter dicimus [cf. 10. 11. 1]. Nigidius mature fieri, quod neque cito neque tarde fiat: quod hinc debet intellegi, quia poma quae neque acerba sint neque putrida matura dicuntur.

Cato: u. 16. 14. 2; Nigidius: u. 10. 11. 2

**4(b)** Seruius (qui quin e Donato pendeat haud dubium est) in Verg. *Aen.* 5. 738

TORQVET MEDIOS NOX VMIDA CVRSVS E(T) M(E) S(AEVVS) E(QVIS) O(RIENS) A(DFLAVIT) A(NHELIS). dies est plenus, qui habet horas uiginti quattuor: nam et nox pars diei est. dicimus autem diem a parte meliore: unde et usus est, ut sine commemoratione noctis numerum dicamus dierum. hic autem dies secundum Aegyptios inchoat ab occasu solis, secundum Persas ab ortu solis, secundum Etruscos et Athenienses a sexta hora diei, secundum Romanos a media nocte: et hos nunc secutus ait 'medios cursus nox torquet et me saeuus equis oriens adfluit anhelis.' haec autem plene exsequuntur et Cicero in *Auguralibus* et Aulus Gellius in *libris Noctium Atticarum* [3. 2]. hoc etiam illa res iuris indicat, quod cum tribunum plebi abnoctare ab urbe non liceret, licebat tamen exire post noctem mediam et ante mediam reuerti.

**5(a)** Augustinus, *De ciuitate Dei* 9. 4

Vt enim alia omittam, quibus id ostendam, ne longum faciam, aliquid unum quod sit euidētissimum dicam. In *libris* quibus titulus est *Noctium Atticarum* scribit Agellius, uir elegantissimi eloquii et multae undecumque scientiae, se nauigasse aliquando cum quodam philosopho nobili Stoico. Is philosophus, sicut latius et uberius, quod ego breuiter adtingam,

narrat Agellius, cum illud nauigium horribili caelo et mari periculosissime iactaretur, ui timoris expalluit. [*sequitur παράφρασις primi capituli lib. XIX.*] Haec ut potui non quidem commodius Agellio, sed certe breuius et ut puto planius exposui, quae ille se in Epicteti libro legisse commemorat eum ex decretis Stoicorum dixisse atque sensisse.

**5(b)** Idem, *Quaestionum in Heptateuchum libri VII* 1. 30

De eo quod scriptum est, 'Circa solis autem occasum pauor irruit super Abraham, et ecce timor magnus incidit ei [Gen. 15: 12]': tractanda est ista quaestio propter eos qui contendunt perturbationes istas non cadere in animum sapientis; utrum tale aliquid sit quale Agellius commemorat in *libris Noctium Atticarum* [*sequitur eadem narratio breuius coacta*]. Sed considerandum est quemadmodum hoc dicat Agellius, et diligenter inserendum.

Agellius, Agellio] A. Gellius, A. Gellio passim editores, sed perperam, cum A littera nomini et bis in (a) et quinquies in (b) praefigatur, numquam omittatur

**6** *Historia quae dicitur Augusta, Vita Probi* 1. 1

Certum est, quod Sallustius Crispus quodque Marcus Cato et Gellius historici sententiae modo in litteras rettulerunt, omnes omnium uirtutes tantas esse quantas uideri eas uoluerint eorum ingenia qui uniuscuiusque facta descripserint.

Sall. Cat. 8. 2; Cato: *FRHist* 5 F76 ap. NA 3. 7. 19; Gellius: *Gnaeum simulat, Auli meminit praestigiosus auctor*, u. *Holford-Strevens* 1989: 153: *at sunt qui credunt*, u. *FRHist* 5 F126, 14 F(31)

**7(a)** Priscianus, *Institutionum grammaticarum libri XVIII* 4. 31 (*GL* ii. 135. 14) *inter exempla nominum in -ius desinentium*  
agellus agelli Agellius

**7(b)** Ibid. 6. 61 (GL ii. 246. 6-8) *inter exempla genetiui nominum masculinorum primae apud Graecos declinationis*

Agellius Noctium Atticarum VIII: Historia ex libris Heraclidae Pontici iucunda memoratu et miranda.

VIII codd. plerique, cf. infra VI u. indicem lemmatorum praefationi subiectum 8. 16

**7(c)** Ibid. 6. 73 (GL ii. 259. 23-260. 2), *de genere nominis quod est specus disserens*

Agellius noctium Atticarum VI: specum quandam nactus remotam latebrosamque, (in eam me) penetro et recondo [= 5. 14. 18].

nactus codd. plerique, sed etiam nactus legitur add. Hertz ex Gellio

**7(d)** Ibid. 7. 52 (GL iii. 355. 19-20)

nox etiam a nocte noctium, unde Agellius Noctium Atticarum inscripsit

**8** Gregorius Turonensis, *De uita patrum*, praefatio (MGH SRM i<sup>1</sup>/2. 662. 20)

Agellius quoque et conplures philosophorum uitas dicere uoluerunt.

A. Gellius quoque ne Gregorius quidem scripsisset uitas] NA 1. 3. 1, 13. 2. 1; etiam 17. 2. 22 = Cl. Quadrigarius fr. 27

## PRAEMONENDA

## DE CODICIBVS

A. Gellius, iam confectis uiginti uoluminibus Noctium Atticarum commentariorum, praefationem, subiectis capitibus ut ipse ait rerum, ut alii malunt capitulis siue lemmatis, post omnia scriptam, ante omnia legendam suo uolumine edidit.<sup>1</sup> Quam ordinationem cum in archetypo (Ω) seruatum esse facile credas, in illo exemplo (A) perdurasse manifestum est cuius frustula, cum lemmata quaedam libri septimi decimi et duodeuicesimi tum fragmenta quattuor primorum librorum adseruantia, una cum reliquiis aliorum auctorum ut dicunt saecularium sub historiis Tobiae Iudith Iob Hester in libro maximam partem circiter annum 600 rescripto abhinc ducentos fere annos innotuerunt, qui liber in Italia meridiana confectus in monasterium Lareshamense translatus, e monasterio Myrtilletum, Myrtilleto Romam, in Bibliotheca Apostolica Vaticana nomine Palatini Latini 24 censetur.<sup>2</sup> Hoc igitur exemplum, a quopiam Cotta capitalibus quae uocantur rusticis exaratum, ea fuit forma quam hodie usurpamus in eaque codicis nomine abutimur, sed litterae, quae olim aetatem Theodosianam referre habebantur, nuper ex Seueriana aut etiam Antoniniana repetitae

<sup>1</sup> Rocchi et Holford-Strevens (2018).

<sup>2</sup> Cui editores sacrae paginae signum L indiderunt. De hoc codice deque auctorum antiquorum reliquiis ibi seruatis uide Fohlen 1979.